[illegible]asimirus
[illegible]-Sandecensis.

Zapartowicz Floriani: Coronamentum virtutum et meritorum triumphale sacra benedictio

CORONAMENTUM
Virtutum & Meritorum
TRIUMPHALE,
SACRA BENEDICTIO,
Roseis Præsuleis Manibus,
ILLUSTRISSIMI, ET REVERENDISS: DOMINI,
D. STANISLAI
à SŁUPOW
SZEMBEK,
DEI, & S. Sedis Apostolicæ Gratiâ,
EPISCOPI DIONYSIÆ, SUFFRAGANEI, CANONICI, VICARII IN SPIRITUALIBUS, ET OFFICIALIS GENERALIS CRACOVIENSIS;
CAPITI PRETIOSO,
PERILLUSTRIS, ac REVERENDISSIMI DOMINI,
D. CASIMIRI SOWINSKI,
DIVINA VOCATIONE
ABBATIS NEO-SANDECENSIS,
SACRI, & CANONICI ORDINIS PRÆMONSTRATENSIS DIGNISSIMI,
Ad Crac: in ECCLESIA ZUERINECENSI Sanctimonialiũ,
ACTU SOLENNI,
IMPOSITA:
In debitum Venerationis atq; Gratulationis argumentum,
à F. FLORIANO ZAPARTOWICZ,
In Alma Universitate Cracoviensi, AA.LL. & Philosophiæ Baccalaureo, ejusdem Conventûs & Ordinis Professo,
Filiali Obsequio
HONORATA.
72.

X.X.X. Anno Domini 1699. Die 24 Februarij.
CRACOVIÆ, TYPIS UNIVERSITATIS.

IN ARMA,
Illustrissimae Domûs
LASOCCIANÆ.



Quid Soleata potest Virtus? en lubrica vincit,
Et Pennâ Volucri missa Sagitta ferit.
Hostem LASOCCÎ Soleato robore calcant;
Quidni Victorum, Penna, SAGITTA, volet.

PERILLVSTRI, MAGNIFICO, AC GENEROSO DOMINO, D. MICHAELI LASOCKI,

Succamerario Terræ Viſſogrodienſis, Lubochnenſi CAPITANEO, &c.

Dño, ac Patrono Munificentiſſimo.

TRiumphalibus ad immortalitatem vſq; coronari Lauris, Soleatæ Virtutis opus & gloria felix; non meliùs prominet, quàm in ſuo Coronamento triumphet. Perilluſtris Magnifice ac Generoſe Domine. *Imbelles quippe animas & blandi profeſſas otij, timor ipſe confundit, nec ad excelſos trahit honores; imò humi ſerpere & tardas conſumere vires, peior natura conſueuit. Felicior illi in Coronamento gratia venit, cui indulgentiùs virtus ſoleata iter proſperat, laudatoſq; paſſus nobiliore ſtimulo præparat. Hoc Tu* Perilluſtris, ac Magnifice Domine *Coronamentum emeriti honoris, dum plaudente animo, dulci in Tuo pectore gratulatione lætiſſimus excipis; gratari hanc ſortem cælitus veniſſe in Benedictione, non immeritò Iudex Benigniſſimus cenſes. Grande Tuæ virtutis decus & laudatiſsima Honoris Tui æſtimatio, tantum iſti Coronamento addit pretij; quantum amoris gratioſi habet. Nimirum juris ſorte nativi Auguſtâ ortus Proſapiâ, Reipublicæ Polonæ Nobile germen, inter tot ſudatos pro Patria labores & feruentes æſtus Gradiui victor toties, palmares triumphos Heros Patriæ, Bellator & Conſus peperiſti. Porrò infracti munus pectoris Tui, ſi viva Virtus; publica pro Te certantium vota teſtantur; quàm Auguſtus Iudex, rebus in arduis palmam cæteris nobiliorem juſtitiæ Cenſoribus Tibi vendices, ex iuſto, gratiarum coro-*

nam semper promeritus. Fastis sæculorum asserti perennibus Prædecessores Tui, immortalis Coronamentum gloriæ vivunt & per merita Heroicæ Virtutis gloriosa, toto orbe triumphant. Si alios immenso sese, agmine explicantes Heroas, hæc breuis pagella capere non possit, sæcula loquantur. Perillustris ac Magnificus Dominus Amantissimus AVVS *Tuus*, VALENTINVS LASOCKI, *Succamerarius Vissogrodiensis, quantùm virtute & meritis Orbem Polonum compleuerit, voces publicæ testes sunt. Soleatus Heros, Herculeô robore potens* Perillustris, Magnificus ac Generosus Dominus ADAMVS *Castellanus Vissogrodiensis Tuus Parens Dulcissimus, omni virtutum genere felicissimus, quidquid præcelsi animi & gloriæ peperit, in Te Soleato Herede sanguinis Filio, Coronamentum reliquit. Age Tibi hanc breuis opellæ lucubrationem in Benedicto Coronamento, Magno Nomini Tuo deuouere iustum sit. Cùm noviter Coronati* Reverendissimi ABBATIS *Neo-sandecensis, amoris Tui & gratiæ Sagittas, adeò in pectus defixeris; vt Tui portionem sanguinis Nobilissimam*, Illustrem, & Magnificum STANISLAVM *Filium Dilectissimum institutioni, non ex vano mensuram capiens, olim credideris. Hoc igitur Benedictionis Coronamentum* ROSEIS *cælitus datum manibus, Tui sit gaudij corona & Honos: vt Soleatus omnem fortunam vincas, & æternos vitæ longæuæ soles reuoluas felicissimus, Publicis apprecationibus votoq; meo profundissimo factus omnium Coronamentum. Ita voueo & precor.*

Perillustris, Magnificæ ac Generosæ Dominationis Vestræ.

Indignus Exorator & Humilis Servus.

F. FLORIANUS ZAPARTOWICZ,
O. P. C. S. P.

CORONAMENTUM
Virtutum & Meritorum,
TRIUMPHALE,
SACRA BENEDICTIO.

JMmortale eximij Honoris decus capeſſere,
Virtutis Coronamentum oſtentare eſt:
ad quod, per vaſtos laborum anhelitus,
nobiles animas vis innata trahit.
Non enim ex jugo facili, lectæ coronæ juvant;
quin ſudatas curas expendere proponant.

Ita eſt,

Laureatus honos, prœmium Virtutis & meritorum,
frontes exambit ſerenas;
quas ſudor irriguus proluerit.
Propitijs Cælorum favoribus pretiari;
Virtutum & meritorum impendio cenſeri.

Fabios, Camillos, Horatios,

pulcher immortalis triumphi honos ornavit;
ſed non ſine prævio laborum, & meritorum proventu.
Celebratos tot Romæ triumphos & victrices coronas,
Virtus glorioſa peperit.
Alios profectò tenui herbarum faſciatæ manipulo,
Coronæ decorent,
ſed ſerta roſea, nobiliora tempora lambant:
Illæ pictis coloribus tantùm variatæ,
hæc & venuſtum decorem, & odorem ſuaviſſimum fundunt.
Fortunæ ludentis dignatione parti triumphi inſtabiles:
cælitùs in auge benedictionis coronati,
perennis gloriæ monumentum ſunt.

Hyblæas ne jacta roſas,

quas ætheris ros humectare conſuevit;
quia has cæleſtis Gratia irrorat:
eò fæcundiùs, quò non ſibi tantùm feliciùs,

ſed toti mundo fragrantiam glorioſiùs affundunt.
Gaudeant Pæſtana roſaria cultu,
& Pangæus jactet roſcidas,
veſpere tamen cadentes roſas;
Tiaratis plenus gratiarum ex alto pluor,
honos & reverentia, in benedictionis Coronam deſinit.
Hoc Te hodie auſpicatiſſimo Superûm favore coronari,
ſuſpicimus, veneramur, & colimus,
Perilluſtris, & Reverendiſſime Domine,
D. CASIMIRE SOWINSKI,
DIVINÂ VOCATIONE,
Abbas Neo-Sandecenſis, Coronate!
dignatione Numinum,
concordia Vota Eligentium felix viciſti?
novo Honoris Tui coronamento triumphans.
Sacris benediceris in Corona ROSIS;
quia roſeis manibus,
Illuſtriſſimi, & Rndiſſimi Dni,
D. STANISLAI à Słupow SZEMBEK,
DEI, & S. Sedis Apoſtolicæ Gratiâ,
EPISCOPI DIONYSIÆ, SUFFRAGANEI,
Canonici, Vicarij in Spiritualibus, & Officialis Generalis Cracov:
Cujus auguſtum os & Gratia dulcis,
in Benedictione Divina,
gratias Tibi ingeminat,
& auſpicatiſſimos ſpondet ſucceſſus.
Agè tandem, Tuarum Virtutum & meritorū hoc Coronamentū,
ex juſto honoris pretium.
Quidni?
Tu melioris Lucinæ faſcijs evolutus,
tantùm ab innato fervore deſudaveris;
ut ad primæ iuventæ Tuæ argumenta,
in admirandum Virtutis argumentum traxeris animos.
Solidioribus dein ſtudiorum curis glorioſiſſimè intentus,
per

per quæq; aſpera & ardua ſcientiarum luctatus,
Victor evaſiſti.
Candidiſſimæ Religioni,
Divina Voluntate, & Tuo animo promptiſſimo aſſertus.
Perilluſtrem olim, & Reverendiſsimum Dominum,
D. THEOPHILUM KACZYNSKI,
Abbatem Neo-Sandecenſem,
Anteceſſorem, & Patrem Profeſſionis Tuæ,
Virum, vt in Lilieto Præmonſtratenſi meritiſſimum;
ita & in proſpiciendo Succeſſore maximè ſolicitum meruiſti.
Nec anxium ſors eluſit,
cùm ex fatidico oraculo, obitûs ſui tempus & Succeſſorem
CASIMIRUM,
ceu Teſtamento quodam,
quatuordecim ante annos manu propria conſignavit.
Ita ſanè
Conſcium probatæ Virtutis pectus Coronæ militat,
& honoris jus nativum habet.
Veniſti dignitatis Paſtoralis ad hoc Coronamentum,
operoſo paſſu & gradu feliciſsimo,
ante Pater Virtutibus admirandus, quàm Pedo Abbas venerādus.
Semper quippe felix fuiſti in Candida Religione,
ex juſta omnium regula morum,
Magiſter Novitiorum:
primus ad omnes dignitates,
albis calculis omnium judicatus.
TIBI
Reverendiſſime Domine,
in Celeberrimis Regni Poloniæ Conventibus,
ad hoc Coronamentum Benedictionis,
Officium hoc difficillimum & arduum,
non ſemel, facilè præmonſtravit iter.
Nam
non in Domo ſolùm propria Neo-Sandecenſi,

verùm & in Conventu Amplissimo Hebdoviensi,
re & Nomine munus egregium Magisterij implevisti.
Vbi tot profitentes virtutum indices habes,
quot Amplißmi Conventus indicant,
ex Religiosißima instructione Tua Professos:
Professiq; cum omnium agmine Fratrum,
gratantes, profitentur inde, & plausibiles voces promunt.
Est certè vita Tibi semper directa supernas,
ad Leges, sequerisq; Deum.
Hisq; ex probatissimis ac candidissimis Virtutibus,
justum Te sequitur Benedictionis Coronamentum.
Adamavit in Te has animi præstantiores dotes,
sese nobiliore explicantes honore,
rigidi servator honesti,
Perillustris, Magnificus, ac Generosus Dominus,
D. MICHAEL LASOCKI,
Succamerarius Terræ Vissogrodensis,
Lubochnensis CAPITANEUS &c.
Novit hic Iustitiæ Censor, non solùm lites finium componere,
sed & gemmeis animis, auream censuram dare.
Et ideò,
Expectationis felicissimæ,
Magnæ Spei Filium suum,
STANISLAVM,
bonis artibus & moribus imbuendum,
Tibi concredidit.
Rigidè honestam in Te Regularis Vitæ normam probans,
altiori dignam honore,
propenso semper amore & voto judicavit;
Tiaraq; Abbatiali ornandam non incerto prædixit:
Vnde sub Coronamento Benedictionis,
potire Pedo Pastorali, triumpha Tiaratus ABBAS.
Vota amica amicam fecêre Tibi Fortunam
ex Virtutibus.
Retulerunt pridem Benedictionis Coronamentum
Virtutes Tuæ,

Ab An-

Ab Antiquissimæ CORVINORUM Prosapiæ
Candidissimo Nostræ Religionis
Delicio & Statore,
Perillustri, ac Reverendissimo Domino,
D. MICHAELE IOSEPHO,
DE WILKOW,
WILKOWSKI,
Dignissimo Abbate in Brzesko Hebdoviensi,
ac Patre Nostro Dulcissimo.
Qui admiratus in Te Virtutum præcelsarum Majestatem;
Votorum Regularium regulatissimam vitam,
placida ad omnium animorum compositionem tempe,
primam ad labores in candida Vinea Præmonstratensi alacritatē,
officiosissimam in cunctos Tuam propensionem æstimans,
submisit cor & Vota,
Teq; in Conventu Amplisimo Hebdoviensi constituit
Priorem:
nec errare potuit,
singula prospiciens candidisimo oculo;
Quia sæculis dicendum & amandum
Cæli candidi Præmonstratensis
Te Phæbum censuit.
Perbellè enim in Te pretiosarum Virtutum vidit, ac seriò
probavit Pantheon;
Quod Te, ad hoc vsq; Benedictionis Coronamentum feliciter evexit.
Nec mirum,
Illustrissimæ Soleæ innatum est,
Cæteris ad excelsam honorum augem parare viam,
quâ præmonstrati, ad monstratum faciliùs perveniant coronamentum.
Non convenit jis quiescere, quos ad rotam ingentium curarum,
aptos natura enixa est;
Orbisq; luce non indignum, aliorum in exemplum efformavit.
Solæ virtutes amplisimæ, vt vnico loco contentæ non sunt;
ita modicis spatijs, minùsq; notis latebris contineri refugiunt.
Æviternæ memoriæ, non minùs semper, quàm vbivis,
vt clarescere posint, avidiores poscunt.

Cùm meritò, infinita theatra ſciant ſibi deberi.
Ad grandia & præclara inſtructus ornatusve virtutibus
animus Tuus
- - quantùm clamore iuvatur
Eleus ſonipes;
tantùm laborum ponderibus,
vt ſe Herculem præſentaret incitabatur.
Parens mandato ſuperiorum,
Viribus virtutibuſq; ſuis non renitens,
ſuſcepit curarum, curam multò maiorem,
apud ſacratiores in terris animas,
Vitam Angelicam, quia candidam viventes,
Sacras nimirum Veſtales,
ad Emporium Virtutum & animorum Cracoviam,
Parthenonis Zverinecenſis.
Ubi
quanta candidæ virtutis ſpecimina, ſpecioſiq; candoris,
in varijs curarum & negotiorum generibus
exemplum dediſti;
vel inde certiſsima teſſera capienda ſit;
quòd ſanctiores animæ illæ,
Illuſtriſſimarum Domorum,
non ſolùm gratanti animo, gratioſiſsimos proſequuntur labores Tuos,
Et viuam Magnæ ſpeciem Virtutis adorant;
ſed & opera poſt tam ſtrenuè celebrata
tantò in loco,
non reſtabat vllum magnificentius dexteritati Tuæ,
quàm Abbatialis dignitatis Theatrum,
Coronamentumq; Verticis Tui
Benedictio.
Veniſti inde feliciſſimus, alteri ad hanc Prælaturam
album calculum dare, minimè Tibi dandum præſumens;
verùm Diuinâ providentiâ
Virtutumq; emerita merces,
Omnium corda & animos vnaq; candidiſſimos calculos,
in Tui amorem plauſu maximo duxerunt;
Vt Vir-

Vt Virtutes probatæ dignam mercedem reciperent.
Exantlatarum quidem ratio virium, totum in suffragijs pondus;
sed animus quoq; omni genere eruditionis plenißimus,
simulq; compositùs in se & paternus,
votorum pro Te summa ratio,
Theatrum Tibi in eligentium trutina construxit,
& amplum & celsum.
Pedo Abbatiali, Coronamentoq; Benedictionis dignum
percensendo.
Prosperabat iter Tibi ad hunc Dignitatis splendorem,
ornata Cruce & Sagittis SOLEA armata
Perillustris ac Reverendißimi Domini,
D. IOANNIS THEOPHILI
DE KOTLEWO
GRZEMBSKI,
Strzelnensis, & Lanciciensis, PRÆPOSITI INFULATI,
Per Poloniam & Livoniam, Vicarij, & Visitatoris Generalis,
non solùm ex Officio, sed etiam ex Commisso
Celsissimi Principis, Ducis Severiæ,
Deputati.
Qui primus pro Te omnium tenens in manibus Vota,
tulit calculum subjecitq; candidum.
Nimirum Te,
vt arbiter morum & animorum, hâc dignissimum Prælaturâ
censuit & instituit.
Tandem venit
Vt post tot Virtutum Tuarum Lydios lapides,
quò vigilantior eò amantior, dotum Tuarum,
antè rigidus Censor, nunc Vigilantissimus Custos
Jllustrissimæ Prosapiæ Debicianæ GRYPHUS,
Unguibus & rostro atq; Alis armatus in hostem,
undiq; Princeps,
Peraugusti Capituli Cracoviensis,
Decus, & Ornamentum,
Palatinatûs Sandomiriensis

 Gem-

Gemma, Ocellus, Fulcrum & Columna,
Perillustris ac Reverendissimus Dominus,
D. CHRISTOPHORVS
DĘBICKI,
V. I. D. Ecclesiarum, Cathedralis Cracoviensis
& Collegiatæ Sandomiriensis Canonicus & Officialis,
Præpositus Stobnicen: S. R. M. SECRETARIUS,
ad Electionem pro tunc Commissarius,
Te hoc dignum honore iudicaret.
Hic Virtutes iuremeritò pretiosiores æstimans auro,
operosiùs quàm Scytharum olim Gryphi,
ad auri thesauros excubias tenentes,
ne effoderentur ab Arimaspis,
Latus Tuum tenuit.
Quippe.
Ex præmissa virtutum Tuarum trutina,
illas Commissariô coronauit votô.
Labore & diligentia advsq; Benedictionis Coronamentū advigilavit,
Pro summo decore, sublimis Tuæ Sapientiæ,
Ornamentoq; Ordinis PRÆMONSTRATENSIS,
Et CUSTOS & Pugnax certavit.
Fasciavit has altissimorum Ingeniorum
trutinas anxias & concordantia vota,
sæculorum pretium & sanctitatis nexus,
Jllustrissima FASCIA,
Celsissimi PRINCIPIS, *Illustrissimi, & Reverendissimi Domini,*
D. IOANNIS De MAŁACHOWICE
MAŁACHOWSKI,
Dei & S. Sedis Apostolicæ Gratiâ
EPISCOPI CRACOVIEN: DUCIS SEVERIÆ;
dum Te libenter instituit, libentiùs demandavit
Coronamento Benedictionis exornare.
Pastoralis hic Paternusq; Candor & amor aureus,
Aurei Oris, Sancti Chrisostomi,
os simul & cor imitatus est.
Summa omnium bonorum est, esse benedictum.

Ex Be-

Ex Benedictionis fonte
in Conventum Nostrum,
largiores emanabunt prosperitatum rivuli,
incomptæ cessabunt indigentiæ, & turbines.
Benedictio facit divites nec sociabitur eis afflictio.
Approbante hoc Legis Latore Nostro
DIVO AUGUSTINO:
Benedictio Patrum firmat domos filiorum.
Quid non faciet Benedictio, à fragrantibus procedens Rosis?
quarum sæcula suavissimo recreantur odore.
Ergo
Perillustris, & Reverendissime ABBAS
à redolentibus ROSIS, his
Tuas manent Virtutes suavissimi odores,
Nostrum Conventum aureorum temporum certa felicitas.
Sume itaq;
Ex Sacris, ROSARUM plenis manibus,
JLLUSTRISSIMI PRÆSULIS DIONYSIÆ,
Præsulem Tiaram,
Conventui ex Ordine debitam, Tuisq; adnatam Virtutibus.
Sub cuius novo auspicio,
prosperitatis gaudia ominamur.
Accipe annulum Pyrrhi & Syllæ Dictatoris æstimatione præstantiorē,
Præmium Tuarum Virtutum & pretium.
Vera quippe Virtus finem nescit,
nec Tua sciet nisi immortalem.
Recipe fulcimen Potestatis & Honoris,
Abbatiale Pedum, Pastorale Insigne,
quo corrigas & dirigas, memor horum versuum;
Attrahe per Summum: medio rege, punge per imum.
Attrahe, sustenta, stimula; vaga, morbida, lenta.
Induêre scuto pectoris,
gloriosissimo signo salutis,
Cruce Sancta;
ad manifestandas Candidi pectoris Tui
Paternas & Pastorales tesseras;

D ad ex-

ad expugnandas incompexarum ſentinas invidiarum;
ad tuendum gratantium animorum hilares frontes,
vt ſub Benedictionis Coronamento,
Fortis dicaris & Benedictus.
Lentis quidem paſsibus,
ad auguſtum hoc perveniſti Coronamentum;
ſed mora iſta Tibi glorioſiorem,
nobis gratiorem peperit triumphum.
Quæ enim tardiùs eveniunt, feliciùs ſuccedunt.
Habeat jam felix Benedictio Tua,
hoc in auſpicijs ſuis maximum,
quòd volupè nobis ſit, eò Te votis omnibus
& animorum dulci gaudio ſequi;
quò Te intulit arcana rerum in Orbe ſeries,
quæ Deo ſoli nota, à faſtis immortalibus pendet.
Immolamus voluntates iterum, regimini Tuo ſubiectiſsimas
in thymiama ſuauiſsimum,
offerimuſq; intimas cordium voces in Hecatomben;
eo animo, quo Te ſemper deſiderabamus,
Benedictionis ornatum coronamento videre.
Ex quo Tibi jam Reverendiſſime Domine,
gratantium applaudentiumq; lætitia occinit celeuſma.
In Præmonſtratenſi Lilieto,
Vive à fragrantibus coronatus ROSIS, innubes dies;
Roſeas cum Neſtore annorum Myriades;
cum Metello numerans Fortunarum copias:
Vt ex hoc honore, non abſq; onere,
glorioſiùs, ſeras poſt temporum congeries,
in ſupremo Olympo
merearis Coronari
æternæ Benedictionis
CORONAMENTO.